

X 231 6702

Pi  
424

אָשָׁת עֲשָׂה צְפַרְנִיהָ  
Deut. XXI, 12.

h. e.

DE MVLIERE  
VNGVES SVOS FACIENTE  
SIGNO LVCTVS  
HOC IPSO TEMPORE PUBLICI LVCTVS  
BREVITER EXPOSIT

ATQVE

*ORATIONEM*  
BENEFICIO RICHTERIANO

DESTINATAM

INDICIT

M. IO. GOTTLIEB BIDERMANN. R.

FREIBERGAE,

Litteris IO. CHRISTOPH. MATTHAEL.

CI.



**T**empus, quod instat, quadragesimale, memoriae acerbissimorum cruciatum destinatum, quos mundi Saluator nostra causa sustinuit, iure ac merito ad luctum et moerorem componitur, omnis generis oblectamentis et voluptatum illecebris proscriptis. Vt enim ad spectaculum tam triste uniuersa rerum natura cohorescet, atque indicia luculenta maxima perturbationis edebat, homines autem, qui aderant, rei inauditae nouitate perculsi trepidabant, animis commotis pectora caedebant, et attoniti discedebant, quia tum, uti poëta loquitur, a)

sonuit percussus planetibus aether,  
exemplaque carens et nulli cognitus aero  
luctus erat:

ita nos, qui nomen et doctrinam Christi profitemur, hoc exemplar sequi, et animi dolorem tam verbis quam factis publice testatum facere debemus. Sic pia olim Maria fecit, quae, poëta interprete, b)

indigno nati concussa dolore  
stat lacrymans, et multa querens, et pectora tundens,  
itemque ingens turba religiosorum comitum, quorum

eruperunt pectora quebus,  
timidacore genae lacryma, et singulis arctis  
fixa adspicerunt lethalia vulnera clavis. c)

Et facile foret, ex historia sacra non modo variam lugendi et dolorem significandi rationem demonstrare, sed etiam perspicuis argumentis confirmare, Iudeos ad prodendum animi moerorem plures ritus, quam alias gentes, adhibuisse. Quum vero alii hoc labore sint perfuncti, d) iam non nisi unum eorum morem, in fronte huius scriptio[n]is indicatum, persequeimur.

Verba igitur, examini subicienda, legem diuinam complectuntur, quae docet, quibus conditionibus mulier peregrina in tixorem accipi possit. Etsi enim alio pracepto DEVS populo suo coniugium cum peregrinis graviter interdixerat; e) hoc tamen loco per singularem indulgentiam Israëlitis potestatem permittit, mulierem alienigenam bello captam in coniugium adscendendi, in praemium fidei et periculorum pro patria fortiter pugnando susceptorum. Haec vero indulgentia ne in abusum degeneraret, certis conditionibus erat circumscripta. Nam mulier, in bello capta per integrum

a) Lucan. Pharsal. IX, 168.      b) Rossaei Virgil. Evangel. L. II.      c) Fungeri Melissiad. L. IV.      d) Mart. Geieri de luctu Ebr. Lips. 1666. Io. Nicolai de luctu Graecor. Marp. 1696. Io. Kirchmann de luctu Rom. Hamb. 1605.  
e) Num. XXV, 1. sqq. Deut. VII, 3. Est. IX, 2. Neh. XIII, 25.

integrum mensem in domini, qui eam ceperat, aedibus adlerabatur; eo consilio, ut parentes et cognatos, à quibus abstracta fuerat, defleret, speciosas vestes, quibus usū erat, deponeret, capitis caesarieim detonderet, et unguis aleret, neque crescentes praefecaret. Tali enim modo non solum luctum testabatur, sed etiam venustatem pristinae formae sensum amittebat, et facile vel domino suo displicere incipiebat, vel ad sacra Israëlitarum amplectenda permouebatur.

Prius autem, quam hac in causa confirmando progrediamur, quid obuerunt dissentientes, audiamus. Nam LXXIes, Vulgatus, Vatablus, Pagninus, Oleaster, Belgae, et alii phrasin צפניהם de unguibus praescandis interpretantur. Et negari quidem non potest, Hebraicum עשו inter alias easque complures significaciones etiam ad rem resecando concinnandum adhiberi. Quem sensum 2. Sam, XIX, 24. aperte sibi vendicat, ubi lugens Mephibosethus legitur, וְשָׁוֹר הַשְׁׁוֹר נִשְׁׁבֵּת גַּדְעֹן וְעַשְׂרֵה נֶגֶל neque unguis pedum praecidisse, neque barbam raffisse: qua mente R. Leni prius עשו per רְמֻנָה remouit, posterius R. Salomo per נְבָז abrasit, explicant, LXXIes vero tertium luctus genus de suo subiungunt, addentes: εδὲ ὄνυχα τέτο, neque unguis resecuit, quod alias munditiae causa facere consueverat. Et eodem fere sensu Latini verbum *Facere* nonnunquam adhibent, uti e. g. LAMPRIDIUS barbam facere pro radere dixit. f) Quae omnia sicuti facile largimur, ita neque hoc diffitemur, homines profanos olim in unguibus ornandis multum studii collocasse. Hac mente PROPERTIVS Cynthiae suae *ungues formosos* decantat, g) VIRGILIVS autem h) et CLAVDIANVS i) unguis aureo depingunt, et STATIVS k) de eo verba facit, qui *auro man- fucuerat unguis*. Quod si igitur hae gentes unguis singulari ornato dignos iudicarunt; quis dubitet, easdem potius alendis quam praescandis unguibus operam dedisse? id quod tam copiosis quam luculentis testimoniis probari potest. Ita enim R. Abr. SEBA virginis orientales commemorat, unguis non minus manuum quam pedum non modo aliuisse, sed variis etiam coloribus ornasse, ut amatoribus arriderent. BONFRERIVS autem l) refert, Chinenses prolixis studere unguibus, eosque pro signis ingenuitatis ac nobilitatis habere. Eodem ornatu CVRTIVS Indiae incolas repraesentat, m) quorum unguis nunquam recisi prominebant; quod etiam DIODORVS SICVLVS suffragio suo comprobavit; n) τὰς ὄνυχας ἐκ γενετῆς αὐξασι.

f) in Heliogab. conf. *Gatakeri Cinnus*, L. II. c. 13.

g) L. III. El. VI. 6.

h) Aen. V. 352. VIII. 553.

i) Rapt. Proserp. L. I. 18.

k) Theb.

VI. 721.

l) Comment. ad Deut. I. c.

m) L. IX. c. 10.

n) L. XVII. 105.

ἀνέγεσι μεχρὶ γηρώσι, h. e. unguis inde à nativitate aliunt usque ad senectutem. Imo non solum ad ornatum, sed etiam ad usum eosdem Indos aliuisse unguis, Flau. ARRIANVS his verbis docet: o) τοις ὄντιν δόσα σύδρω διαχειρόθαι λεγοντας, καὶ τοις ἵχθυας τετοι παραχρόντες κατεργάζεσθαι, καὶ ταν ξυλαν δόσα μαλακωτερα, h. e. dicuntur unguibus pro ferro uti, et iis non solum pisces, sed etiam ligna molliora discindere. Vt igitur haec omnia ita sunt comparata, ut adpareat, alias gentes unguium ornandorum studiosos fuisse, alias vero ad vitae necessitates eos aliuisse: ita aliae eosdem concinne resecandos ad singularem morum elegantium referebant. TIBVL-LVS certe inter documenta venustatis recentet, p)

molles aliuisse capillos,

jaepeque mutatas dispositissime comas, et fucu splendente illas ornasse, vel unguis artificis docta subsecuisse manu.

Cum quo OVIDIVS consentit, ubi de forma commendabili exponens, praecepit, q)

ut nihil emineant, et sint sine fardibus unguis:

contra vero illam odio atque fastidio dignam idem censet, r)

cui digitii pingues et scaber unguis erunt:

neque alia mente HORATIVS eos increpat, s)

qui non barbani aut unguis ponere curant.

Quae pluribus testimoniis probari possent, si libros, qui de ciuitate monrum expomunt, exscribere vellemus. Ne vero longius a scopo nostro recedamus, nunc ostendemus, in oraculo sacro, in quo explicando versamur, non agi de unguibus resecandis, sed ad luctum testificandum alendis.

Quod enim dictio נָר in sacris litteris ad indicandum rei alicuius incrementum atque augmentum adhibetur, statim ex primo sacri codicis capite constat, t) ubi Deus produxisse legitur נָר נָר וְ, arbores fructum proferentes; quae loquendi ratio scriptoribus sacris adeo est familiaris, u) ut etiam in novo foedere ποιεις καρπος reperiatur. w) Neque alio sensu dicitur נָרֶב יְהוָה עַמּוֹ, x) h. e. Aegyptiorum ager prouenti abundasse. Siue enim haec verba cum IONATHANE in Targumim vertas: prospere protulit terra, adeo, ut unaquaque spica duos plenos pugillos praebet:

fue

o) Indic. p. 557.

III 276.

XXXVII, 31. Habac. III, 17.

x) Gen. XXXI, 47.

p) L. 1. El. 9.

s) Art. poet. 297.

Gen. I, 12.

w) Matth. VII, 17. 18. XIII, 8. 23.

q) Art. am. I. 519.

r) ibid.

v) Ies V, 2. 10.

z) Matth. VII, 17. 18. XIII, 8. 23.

sue cum LXXibus transferas: ἐποιησεν ή γη της εὐθυνας δραγμάτα, sue  
cum Io, CLERICO interpreteris: terra pro granis singulis manipulos  
dedit: de singulari auctu frumenti sermonem esse, nemo non intelligit.  
Quod si igitur augendi significationum verbum πων alibi admittit, salvo  
fure etiam nostro in oraculo ea concedi potest. Hoc sensu Chaldaeus  
צְבָרְנִיָּה צְבָרְנִיָּה explicuit per יְהֹוָה, et crescere faciat unguis, R. AKIBHA  
vero y) per בָּרוּךְ, et nutrit, quibus R. SALOMO, ABENESRA,  
BECHAI, IVNIVS, PISCATOR, AMAMA, PELARGVS, et alii adstipulantur. z) Et ita quidem res ipsa et nexus legis illius exigere videntur.  
Quoniam enim DEVS eiusmodi coniugio, quod supra vidimus, haudquam  
delectabatur, sed non nisi indulgendo illud concedebat, tantum aberat, ut mulierem ad illud ornari iuberet, ut potius talibus conditionibus  
illud circumscriberet, quales idoneae videbantur ad mulierem istam defor-  
mandam, et ad amoris cupiditatem reprimendam.

In primis autem hanc interpretationem cetera indicia postulant,  
quibus mulier ista captiuu luctum suum prodere iubebatur, vestes pristinas  
deponendo, praefentei vitae conditionem deplorando, et comam resecando.  
Ita uempé apud Iudeos usu receptum erat, ut internum animi dolore  
variis signis externis significanterent, et singula fere corporis membra  
diuexarent, caput capillis priuantes, verticem cinere conspergentes, pectus et  
femur percutientes, corpus ieunii ac vigiliis macerantes, pedibus nudis in-  
cedentes, manus autem non soluu complodentes, sed etiam, intermissa un-  
guium resectione, deformantes. Vt igitur coma abscedenda, quae nostro in  
oraculo cum נַעֲמָת תְּהֵבָה coniungitur, luctum aperte indicabat: ita hoc etiam  
inter signa luctus referri, et potius de unguibus alendis, quam de illis orna-  
tus caussa resecandis explicari oportebit. Namque Iudeos lugentes ad  
testificandum dolorem tam comam capit is quam barbae detondisse, quem  
fugit? a) A Iudeis autem eundem ritum homines profani accepisse viden-  
tur, quod PETRONIVS ARBITER testatur; b)

quod solum formae decus est, cecidere capilli.

Et HOMERVIS, de Antilocho, quem Memnon occiderat, exponens, hoc  
inter officia pietatis et doloris refert, c)

τέτο νύ καὶ γέρεος ὄιον οἰδηγοῖσι βροτοῖσι,

nes-

y) in Talmud. Massech. Iebhamm, c. 4.

p 134. lqq.

a) Ies XV, 2. Ier. VII, 29. XVI, 6. XLI, 5.

Ezech. V, 1. XXVII, 31. Ioh, I, 20.

Δ, 197.

z) Schikard, de Iur. reg. c. V

XLVIII, 37.

b) Satyric, c. 69.

c) Odys-

κειμαδαι τε ιομην, Βαλεσιν τ' απο δανευ παρειω, h. e. Illud  
certe solum munus est misericordum mortalium, tondere comas, et effundere  
lacrymas a genis: et alio loco, d) Achillem Patrocli manibus parentantem  
ita depingit:

sas απανευθε πυρης ξανθη απενεργατο χατην,  
h. e. ante regum flans flaum comam detondebat. Quae quum ita sint, non  
est, quod miremur, eadem in caussa tonsuram capitis cum unguim resectio-  
ne coniungi. Id quod ea lex testatur, quam prae manibus habemus: si in-  
ter captiuos animaduerteris mulierem formosam, quam amore captus in  
matrimonium ducas, eam in domum tuam quidem introducito, ipsa vero  
caput suum tondeto, et unguis resecato. Non vero soli scriptores sacri, sed  
etiam profani utrumque hunc lugendi ritum coniungunt. Ita enim PE-  
TRONIVS ARBITER, audio, inquit, e) non licere cuiquam mortalium in  
navi neque unguis neque capillos deponere, nisi quum pelago ventus irascitur.  
Quoniam enim hoc alias faciebant, animi moerorem indicaturi, ex ipsorum  
opinione verendum erat, ne dii irascerentur, et tempestate excitata iustum  
lugendi caussam darent. Contra vero, exorta tempestate, votum nuncupar-  
bant, si feliciter periculum vitae euasissent, se eandem comam in grati animi  
signum et beneficii memoriam diis sacrificaturos, quam tempestate oppressi  
detondere debuissent. Quam in sententiam LVCILIVS f) canit:

Glaucoue et Nereo, pariterque Ino et Melicertae

Tum pelagique deo, et quos Samothraces habent,

Naufragio s̄os Lucilius hosce capillos.

Dedico, nil aliud, quod superesset, habens.

Et quid prohibet, quominus Pythagorae symbolum morale hac luce illu-  
stremus: unguis in sacrificiis ne incidito. g) Contra vero, urgente tem-  
pestate, neque ulla spe salutis adfulgent, homines profanos consueuisse et  
capillos tondere et unguis praesecare, tesis est NONIVS MARCELLVS,  
qui docet, h) seruos, qui manumittendi erant, caluos fieri oportuisse, ut  
seruitus, sicut tempestatis calamitate in subiisse viderentur. Et eandem ob-  
caussam IVVENALIS illum nautam vertice raso depingit, qui grauissima  
in mari pericula et naufragia perpetius erat, canens: i)

tunc stagnante sinu gaudent ibi vertice raso  
garrula securi narrare pericula nautae.

Imo

d) Iliad. Ψ. 141.

e) Satyr. c. 64.

f) in Antholog. conf.

Douglaci Anal. P. II. p. 97. et Kirchmannus de syn. Rom. L II. c. 14. p. 138.

g) Paul Pater in Arcan. moral. p. 536. sqq.

h) Hadr. Iunius de Com. Cap. IV.

i) Sat. XII.

Imo sunt, qui Paullum, grauissimis in procellis sociorum animos erectum, ad hunc morem respexisse putant, his verbis usum: k) ἔδεος ὑμῶν θρηξ  
ἐκ τῆς κεφαλῆς πεσεῖται; hoc est, quemadmodum S. V. AMENDIVS  
verit: l)

Nullius vestrum capitinis pilus excidet ullus.

Quamvis igitur ea, quae adhuc de unguibus à captiva muliere alienis, in medium attulimus, certis rationibus nitantur: fuerunt tamen, et in his imprimis Patres ecclesiastici, qui non solum unguis praesecandos nutriendis prætulerunt, sed suae etiam explicationi vim atque argumentum, alias veritates probandi, inesse, censuerunt. Demonstraturi enim, quod licet, Scriptoram Sacram ex libris hominum profanorum interpretari, inter alia suam sententiam hoc ex oraculo probant, ubi dicitur: uxor peregrina radet caesariem, et unguis suos circumcidet. Nominatim HIERONYMVS hunc typum putatium his verbis exponit: m) quemadmodum mulieri ethnicae in domum et coniugium ducendae caesaries radenda, unguis circumcidendi, et vestis, in qua capta fuit, exuenda erat: ita etiam, quum litteraturam saecularem transferre volumus ad usum nostrum, abradendi sunt ei unguis et capilli, b. e. superficia, impertinentia, et turpia abscindenda. Neque vero contraria sententia patronis caruit, qui, typomania laborantes, etiam unguis hoc loco abscindendos ad sensum mysticum detorquent. Inter quos Angelus, ROBERT. GELLIVS, ita disputat: n) Weil Naegel machen, wie es in Hebraischen lautet, vielmehr bedeutet, sie wachsen lassen, als abschneiden; so ist der Endzweck, worauf hier gezielt wird, die gesangene Magd ungefalt und haesslich zu machen, damit der, welcher eine Lust zu ihr hat, sie nicht zu heftig oder sündlich lieben moege. Weil nun die Gelahrtheit der Heyden eine bezaubernde Schoenheit hat, und, wenn sie eingenommen und gefangen worden, auch wieder faengt und einnimmt: so ist hochnoethig, daß die Dienstmagd gedemüthiget, der hoffärtige garstige Sack unter den Geborsam gebracht, und ihre Ehre zu schanden gemacht werde. Huius generis explicationibus verba LVTHERI nostri merito adscribimus: o) hoc est ludere intempestivis allegoriis, et non interpretari Scripturam S. Et hos typorum venatores perpetuos DALLAEVS p) his verbis notat: hoc est, ludere, et meditationes texere, puerorum chartaceis aediculis neque firmiores neque solidiores. Vti vero his scriptoribus ab aliis nimium allegoriarum studium iamendum fuit

ex-

k) Act. XXVII, 34.

l) Christeid. L. IV. p. 253.

m) Opp.

T. IV. f. 52. in explic. parabol. de filio prodigo.

n) Verbesse-

rung der Engl. Ubersetzung der Bibel. p. 750.

o) Comm. in Gen. f. 4.

p) de Vsu Patrum c. III. p. 248.

QK III: 424

exprobaturi; q) ita etiam hunc luxuriantis ingenii lusum iis relinquitur, satis habentes, eos in litterali verborum צפנויות interpretatione, socios et comites nos habere.

Nunc autem ipsam caussam aperiamus, quae ad hanc scriptionem nos excitauit. In eo nempe est iuuenis tam felicis ingenii quam probatorum morum, et, (si verbis ex huius commentationis arguento petitis illum commendare voluerimus,) talis, qualis HORATIO nostro nuper Capito Fons eius audiebat, r)

*homo factus ad unguem,*

FRIDR. TRAVGOTT HÜBEL,

Nassau.

Patre perquam reuerendo, quem mors maturior eripuit, filius dignissimus, delicium magistrorum, et exemplar laudabile commilitonum suorum, ut, studio scholastico feliciter decurso, ad palaestram academicam profiscatur. Et quia AMPLISSIMVS ciuitatis nostrae SENATVS viatici loco abituro stipendium RICHTERIANVM adsignauit, suum hic esse putauit, animum benefactorum liberalitate deuinctum, antequam discedat, publicis ex rostris significare. Argumentum autem orationis à tempore praesenti defumis, quo ingentia militum agmina, aquilae signum praeferentia, aut, sicuti LVCANVS canit, s)

*infestis obvia signis*

*signa pares aquilae,*

sibi mutuo imminent, verbis Latinis uniuersa ex historia aquilam signum satidicum, rerum gestarum memoria dignissimarum ostensurus. Quo facto, nomine condiscipulorum discessuro faustum atque auspiciatum abitum gravulabitur, qui ad similem laudem adspirat, adolescens honae indolis ac spei,

Fridr. Traugott Hartwig,

Blumenau.

*imaginem biemis, in qua adhuc versainur, carmine theotiso expressurus.*

Et quemadmodum non dubitamus, hoc institutum iis, qui studia literarum colunt, et ingenia excitatione amplectuntur, probatum iri; ita VOS, MECAENATES et FAVTORES, qua decet pietate atque obseruantia oramus, ut cras, hora nona ante meridiem audita, dicturos beneuole audire, et non minus discentium quam docentium studia exoptatissima

Vesta praesentia subleuare velitis. P. P. Freibergae,

a. d. XVII. Febr. MDCCLXII.

q) Vnschuld, Nachr. 1727, p. 1104.

r) I. Sat. V. 33. conf. Georg. Fridr.

Franck de Franckenan Onychiologia curiosa, 4 Ien. 1695.

s) Pharsal, I. 5.

HC



Q.K. 422.29

X 231 6702

II  
424

אָשֵׁת עֲשָׂה צְפְרִנְיָה:

Deut. XXI, 12.

# DE MVLIERE VNGVES SVOS FACIENTE

SIGNO LVCTVS

HOC IPSO TEMPORE PUBLICI LVCTVS

BREVITER EXPOSIT

ATQVE

## ORATIONEM BENEFICIO RICHTERIANO

DESTINATAM

INDICIT

M. IO. GOTTLIEB BIDERMANN. R.

FREIBERGAE,

Litteris IO. CHRISTOPH. MATTHAEL.

CL.

